

periosteum, ipsumque os digiti carie inficit; Pressura verò leve malum est, quod quotidie incurrunt pueri nostrates, nec unquam os inficit.

Morta est tibi *Pemphygus*, quod nomen tunc temporis non imposuisti, seu *Sudor anglicus* auctorum. *Morta*, ob effectum funestissimum ita dicta.

De *Miliariâ*, *Uredine*, *Scarlatinâ*, alio tempore ad te scribam; in quibus non mihi ipsi consto; nescio utrum omnes constituent unum vel duo, vel quinque distincta genera, vel an todidem species.

Volatica est tuus: in prioribus *Varen* vel *Lopen-devaren*; nil habet commune cum *Podagrâ* aut *Arthritide*. Rarius apud nos occurrit, imprimis apud agricolas, et profectò singularis.

Primum, juvenis vidi hunc in propriâ matre: sentit dolorem acutissimum et horrendum in pede; mox evanescit et migrat in brachium, tandem in alterum brachium; nec ultra $\frac{1}{4}$ horæ in aliquo loco residebat; absquè ordine occupabat facile omnes partes corporis; præ dolore clamitat, Dei opem aut mortem expetit, quò se præ dolore vertat nescit; durabat per 15 horas, discedebat, nec amplius rediit. Nunquam *Arthritide* infecta; nullum signum externum doloris.

Civis urbis *Amaliæ* sentit dolorem ad poplitem: mutabat mox dolor locum ad tibiam, dein ad